



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Disput. 5. De praeceptis Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

DISPUTATIO V.

De preceptis Charitatis.



Omnibus, quæ circa hæc charitatis præcepta late hic agitari poterant, ideo vel omnino hic omittimus, vel breuiter quidem attingimus, quia communia sunt præceptis aliarum virtutum fidei, Spei, & penitentiae, de quibus iam satis in propriis materiis. Cætera, quæ huius loci sunt propria, eo ordine prosequemur, vt in hac disputatione de internis præceptis, postea de peccatis contrariis: tandem de exterioribus præceptis contrariisque peccatis differamus.

SECTIO I.

Virum sit præceptum datum de diligendo Deo super omnia.

1. Dico primò. Omnibus hominibus impositum esse hoc præceptum. Constat Deuteronom. sexto. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Matthæi 10. & 23. Hoc est primum, & maximum mandatum. Dicitur autem primum, non quod primum locum teneat in Decalogo, vt quidam volunt, sed quia est præcipuum, & eminenter continet reliqua. Vnde propriè non continetur inter præcepta Decalogi: sed supponitur tanquam omnium fundamentum, vt docet Diuus Thomas prima secundæ, quæstione 100. articulo tertio, & secunda secundæ, quæstione 44. articulo primo. Conrad. illo articulo tertio, & Burgenf. Exodi 20. in addit. Et traditur in materia delegibus, ac patet Deuteronom. sexto, & Exod. 20. Ratio conclusionis est; quia huiusmodi dilectio est medium necessarium ad salutem, vt patet ex materia de Gratia: omnia autem talia media cadunt in præceptum. Sed contra: nam finis præcepti non cadit in præceptum: finis autem præcepti est charitas, 1. ad Timoth. 1. Respondetur. Illud esse verum de fine extrinseco, qui à materia præcepti distinguitur, secus verò est de eo præcepto, cuius materia est actus circa ipsum finem.

Prima conclusio.

Vide lib. 9. de legib. cap. 4. num. 4. Obiectio enodatur. Videatur aut. thor. lib. 2. de leg. c. 10. & 11.

2. Dico secundò. Hoc præceptum, vt spectat ad Deum finem naturæ, naturæ est, & vt ad Deum finem gratiæ simpliciter supernaturale, etsi conaturalis sit ipsi gratiæ. Prior pars probatur, quia ius naturale est de his bonis, ad quæ homo natura sua inclinatur, teste Diuo Thoma prima secundæ, quæstione trigesima quarta. Sed ad hunc amorem, homo natura sua inclinatur, vt supra disputatione prima, sectione quinta ostensum est: ergo. Secundò homo ex lege naturæ tenetur diligere Deum, sicut, & honorare, & cognoscere: ergo eadem lege tenetur amare Deum aut supra se, aut æquè, aut infra se. Hæc duo vltima dici nequeunt, quia impossibile est actum inordinatum præcipi legi naturæ: ergo tenetur diligere super omnia. Tertio lex naturæ obligat ad amandum honestum super omne aliud bonum, & prætermittere omne commodum, ne contra honestum faciamus: ergo maximè cadit hæc obligatio in bonum maximè honestum, & quod est finis totius honestatis. Vltimò quia alioquin stando in lege naturæ, nullum esset peccatum mortale quod est error. Sequela patet: Quia ratio peccati mortalis in hoc maximè consistit, quod est contrarium dilectioni super omnia.

Secunda conclusio tripartita.

Probatur prior pars primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Secunda pars conclusionis est de fide positæ in materia de Gratia, ubi ostendimus actus fidei, spei, & charitatis esse supernaturales, & cap. 6. & lib. 6. c. 1.

naturæ.

3. Aliter igitur explicatur dicta distinctio, misericordiam secundum se considerata nihil aliud esse, quam misericordiam abstractam ab omni imperfectione, quam habet ex creaturis, & ab omni perfectione extrinseca, sed solum secundum illam, quam habet ex propria ratione formali, & hoc sensu videtur velle Diuus Thomas, misericordiam esse meliorem charitate: quia misericordia secundum se dicit virtutem subleuatiam miseræ: ergo misericordia summa in sua ratione dicit virtutem subleuatiam omnis miseræ: ergo actum purum infinitè perfectum, ac potentem. Quapropter hæc virtus dicitur maximè propria Dei, & opera misericordiæ dicuntur superare reliqua Psalm. 114. Dices, neque misericordiam Dei posse subleuare omnem miseriam, quia non potest à creatura auferre omnem imperfectionem. Respondetur simpliciter posse auferre omnem miseriam, quæ auferri potest, & hoc factum est, vt talis misericordia requirat infinitam perfectionem simpliciter.

Obiectio tentat.

4. Hæc sententia defenditur à multis Thomistis, sed non placet. Vnde censo Charitatem comparatam secundum se cum misericordia esse simpliciter meliorem: atque ad id in Deo comparando attributa eo modo, quo à nobis distinguuntur, excellensius attributum esse charitatem. Primò, quia est finis misericordiæ. Secundò quia etiam ipsi Deo melius est summo amore sibi coniungi, quam aliorum misereri. Tertiò quia melius est obiectum charitatis, & eius actus. Quartò quia id excellentiæ, quod videtur esse in misericordia, eminentiori modo est in charitate: nam sicut misericordia est subleuatia miseræ: ita charitas benefactiua: vnde charitas in suo conceptu summè perfecta est, & infinitè communicatiua omnis perfectionis: quod etiam requirit actum purum, & infinitam potentiam. Præterea in hoc excellit charitas, quia non solum ad externam communicationem, sed ad eam etiam, quæ intra Deum est, inclinatur. Vnde non solum communicat perfectionem finitam in infinitum, sed etiam perfectionem simpliciter infinitam per processiones ad intra: nam licet illæ non sint à voluntate libera, sunt tamen propensionibus voluntatis consentaneæ: & ea, quæ est per amorem, est à charitate, quauis per modum naturæ influente.

3. Ad Diuum igitur Thomam respondetur, non simpliciter, sed secundum quid prætulisse misericordiam charitati, eas secundum se considerando: quia charitas per se non dicit rationem superioris, sed est inter æquales: at misericordia, quia respicit miseriam, secundum se importat quandam excellentiam, præcipuè si intelligatur perfecta, & potens perficere actum suum: & quia hoc non requirit misericordia secundum se, aut prout in nobis est, ideo vti nullo modo dicit superare charitatem. Atq; hinc etiam fit, vt per se Deo conueniat, aliis quasi per accidens: & præcipuè id dicitur comparando misericordiam ad interitum & punitiōem, quia misereri oritur ab intrinseco ex visceribus Dei, punire verò ab intrinseco ex hominum meritis. Sed quæres, An saltem respectu fidei, & spei misericordia secundum se dici possit perfectio? Respondetur sine dubio superare illas in hoc, quod in proprio conceptu non includit imperfectionem, sed perfectionem simpliciter, fides verò, & spes propter modum tendendi in obiectum dicunt imperfectionem, & non possunt esse in Deo formaliter, in quo non solum à misericordia, sed etiam à iustitia, & omnibus perfectionibus simpliciter superantur: nihilominus tamen in nobis perfectiores sunt fides, & spes, quia illa misericordiæ ratio contracta est ad imperfectum statum, & aliunde illæ excedunt in obiecti dignitate.

Quæstio de Th. vii. in 1. q. 1. articulo 1. præterea charitati.

In misericordia secundum se sit perfectior de spe.

Caietani placitum reprehenditur.

Almaynierior.

Vide lib. 1. & 2. de grat. per varia capita. Vide lib. 2. de grat. a cap. 4. Pars ostenditur.

naturae impleri, inter quos actus perfectissimus est iste amor. In qua re erravit Caietanus exponens illa verba, *diliges Dominum Deum tuum*, non intelligi de dilectione, quae est ex charitate: nam ibi est sermo de summo mandato, & perfectissimo amore, cui respondet vita aeterna. Item erravit Almaynus tractatu de Charitate capite 9. ubi dicit posse servari hoc praeceptum naturaliter: quod etiam tribuitur aliis Theologis in 3. distinct. 28. dicentibus Decalogi praecepta esse naturalia quoad substantiam. Sed sententia Almayni erronea est: nam simpliciter dicendum est, hoc praeceptum esse supernaturale, nec posse servari sine gratia, ut tradunt omnes Theologi, & Divus Thomas prima secunda, quæstione 100. articulo secundo. An vero actus sit supernaturalis quoad substantiam in opinione est, quantumvis longè probabilius sit esse supernaturalem in substantia. Ultima pars clara est: nam finis ultimus connaturalis gratiae, est Deus clarè visus: unde supernaturalis cognitio, & amor sunt veluti proprietates gratiae: ergo & praecepta, quae de his actibus dantur. Unde hac ratione praeceptum hoc obligavit in lege naturae. Videantur dicta in simili de praecepto fidei disp. 13.

SECTIO II.

Ad quid obliget hoc praeceptum.

1. Dubium quid importet particula, super omnia, in praecepto charitatis. Vide si placet de particula super omnia, lib. 1. de grat. c. 31. a nu. 2.

Non importat intentionem actus.

Vide auctoritatem de potest. disp. 4. sect. 4. Probatur. De termino qualitatum late in Metaph. disput. 46. de 4. Secundo probatur dilemmate Prior dilemmatis pars impugnatur.

Posterior pars excluditur multipliciter.

1. PRaeceptum difficultas est, quam obligationem imponat illa particula *super omnia*, in qua duo sunt certa. Primum, praeceptum illo verbo, ut obiectivè diligamus Deum magis, quam alia, quia maiora bona illi debemus velle, scilicet divinum esse, divinos honores. Secundò, praeceptum etiam, ut appreciativè magis diligatur, id est, ut ultimus finis, & ita firmiter, ut paratus sit homo ex vi huius amoris ad faciendum omnia, quae necessaria sunt ad hunc finem obtinendum, & ad conservandum eius amorem, & negligenda omnia, quae repugnant huic fini, quam vim habent verba illa: *ex toto corde, & ex tota anima tua*.

2. Difficultas tamen est, An teneamur ratione illius particulae diligere summa intentione, sed breviter dico hoc praeceptum non exigi à nobis certum aliquem intentionis terminum, seu gradum, atque adeo non teneri nos ad hanc summam intentionem. Primum quia solum petitur à nobis verus, & absolutus amor Dei, ut ultimus finis gratiae, & naturae, in quem omnia referamus: sed hic actus potest esse sine certa intentione, praeter minimam; si forte actus & habitus illam naturam suam determinant. Minor patet: quia illa perfectio dilectionis Dei pertinet ad speciem, & naturam talis actus, qui salvatur in quavis intentione. Secundò si requiratur certa intentio, peto in quo gradu: nam praeceptum debet esse clarum. Dices: requiri in summa. Sed contra: nam hic gradus vel sumitur simpliciter summus, & hoc non, tum quia nullus est talis gradus in charitate: tum quia licet esset, non possumus illum habere: alias oporteret ad servandum hoc praeceptum tam intensè amare Deum, quantum amat anima Christi. Vel intelligitur respectivè comparando intentionem huius amoris ad intentionem aliorum amorum, qui sunt in homine, sed neque hoc dicitur probabiliter, quia talis obligatio, neque ex Sacra Scriptura, neque ex traditione, neque ex certa ratione colligitur. Secundò quia vel hæc obligatio est per se, vel per accidens ratione periculi, ne si creatura ametur intensius, Deus vincatur ab amore creaturae. Primum non per se, quia praecepta non obligant ad conatum potentiae, neque ad istas comparationes, vel respectus, praeceptum enim ferè non fit homini intelligibile, quem actum eliciat intensiorem. Secundum accidere fortasse potest

aliquando, sicut tenetur homo vitare omnes occasionem peccandi, tamen hoc neque semper, neque regulariter accidit, quia, ut supra dixi, hic amor de se est constantior, & firmitior: tum quia alias deberet homo eadem ratione frequentius exercere actus amoris Dei, quam creaturae, ne se exponeret illi periculo.

3. Unde confirmatur. Nam vel hæc maior intentio intelligitur in actu, vel in habitu: non primum, quia sicut possem nunc actu diligere creaturam, & non Deum, ita possem elicere actum amoris creaturae intensiorem sine peccato, neque oportet habere semper respectum ad actus amoris Dei, qui praecesserunt: nam illud est onus gratis impositum, & intolerabile: aliàs necesse esset eum, qui intensiori actu peccavit, intensiori etiam actu converti, ut posset iustificari, quod est impossibile. Neque etiam secundum dici potest de habitu, tum quia praecepta non dantur per se de habitibus, ut iam dicam, tum quia habitus proportionantur actibus. Confirmatur adhuc: nam ex opposita sententia sequuntur multa incommoda: semper enim mater dubitare posset, An peccet mortaliter diligendo filium: semper item actum aliàs honestum propter solam intentionem fieri malum: & veniale peccatum ex obiecto, ex sola intentione fieri mortale. Tertiò hoc praeceptum ad maiorem intentionem obligaret unum hominem, quam alium, solum quia maiori affectu diligit res alias.

4. Addo ultimò, si comparatio fiat inter actus charitatis, non solum non esse praeceptum, sed neque consilium positivè diligere intensius Deum, quam proximum, ut patet ex dictis disputatione 1. ratiorem possumus.

4. nam charitas potest esse æquè intensa respectu Dei, & proximi, & consilium est diligere ex tota intentione charitatis, tam Deum, quam proximum: dico positivè, nam negativè consilium erit, neminem intensius diligere, quam Deum.

5. Hinc expeditur illud dubium de quo Theologum cum D. Thom. 1. 2. quæstione 100. articulo 10. An modus charitatis cadat sub praecepto? hic modus charitatis intelligi potest, vel respectu actus elicitæ charitatis, quasi modificati ab illa: hoc secundo modo modus charitatis non cadit per se in praeceptum, quia praecepta obligant ad substantiam actus in ordine ad fines proximis, relatio verò in finem ultimum facta ab operante per se non est nisi ad honestatem: neque cadit in praeceptum, ut in 1. 2. in materia de bonitate, & malitia humanorum actuum ostensum est disput. 6. sect. 1. Alio autem sensu varij modi intelligi possunt in actu charitatis, qui ad duo capita revocantur: quidam enim sunt modi effectuales, ut esse amorem appreciativè summum, & propter talem bonitatem &c. Et huiusmodi modi cadunt in praeceptum, quia pertinent ad substantiam eius: alij verò sunt accidentales modi, ut duratio, intentio, &c. Et hi non cadunt in praeceptum, ut diximus.

6. Tertiò dubitari potest, An non solum obligemur hoc praecepto ad actus eliciendos, sed etiam ad comparandos habitus. Afirmat Martilius in 2. quæstione 18. Paludan. in 3. distinct. 37. quæst. 2. articulo 2. Responderetur tamen hic nullam posse esse controversiam: omnia enim praecepta per se primò dantur de actibus, quia solum dantur de iis, quae sunt in nostra potestate: de habitibus verò non dantur, nisi quatenus pendunt ex actibus nostris, vel consequuntur illos, ut in simili diximus in materia de fide disput. 13. sect. 5. num. 9.

7. Ultimò dubitari potest. An ex hoc praecepto, qui per se est de actu interiori oriatur obligatio ad aliquem actum exteriorem erga Deum. Respondetur, dupliciter posse intelligi hoc praeceptum obligare ad actum exteriorem; primò remore per modum operantis; & hoc modo omnia praecepta dici possunt

Confirmatur primo data resolutione.

Confirmatur secundo.

Confirmatur.

Extenditur eadem ratio ad rationem proximi.

De quocumque genere doctrinae lib. 2. de leg. c. 10. de iur. specul. lib. 1. de port. disp. 13. sect. 1. num. 10.

1. Dubium, an obligetur per se ad bonitatem actus.

4. Dubium, an ex praecepto pro divinis actibus obligatio operantis.

possunt pertinere ad charitatem, quia omnia sunt necessaria ad seruandam charitatem, & radican- tur in ea, quae de causa dicitur. *Qui non diligit me, ser- uantes meos non seruat.* Alio modo intelligi potest pro- xime, & proxime, & hoc modo raro quidem, sed in- terdum obligare hoc preceptum ad actum externum, qui a sicut amicitia erga homines requi- rit aliquando opera externa, ira & amicitia erga Deum, quando illa sunt ad eius honorem necessa- ria, ut sequenti sectione dicemus. Verum est, vix posse assignari aliquem actum externum, qui non possit sub aliqua alia ratione immediate oriri ab alia virtute: nihilominus obligatio propria exer- cendi talem actum oriri potest ex charitate.

SECTIO V.

Quando obliget hoc preceptum.

IN hoc precepto virtute continetur aliquid ne- gatiuum, ut non habere Deum odio, & sic obli- gat semper, & pro semper. Difficultas vero est de affirmatiuo, id est de eliciendo actu amoris. Qui- dam igitur, in quibus est Capreol. 2. d. 18. quæst. v- nica art. 3. ad 2. Scoti contra 4. conclus. Conrad. 1. 2. quæst. 100. art. 10. volunt obligare, quando eumque obligat aliud preceptum, quia nullum aliud potest perfecte adimpleri nisi intercedat charitas. Verbi gratia, si obligat preceptum elemosynæ, obligare etiam preceptum charitatis, ut imperet elemosy- nam, quod si quis det elemosynam sine tali amo- re, eum transgredi non quidem preceptum elemo- synæ, sed charitatis. Sed errat, nullum enim est pro- babile fundamentum huius obligationis, cum ille actus non sit necessarius ad seruandum aliud præ- ceptum. Præterea repugnat omnibus Theologis. Alij affirmant diebus festis, ut Scot. in 4. distinct. 27. quæstione vñica. Tabiena verbo *charitas*, quæst. 20. Angelus verbo *seruata*, num. 41. Gabriel in 3. distinct. 37. quæst. vñica art. 3. Almainus quæst. vñica. Sed errant, etenim nulla ratio est, quæ præscribat illud tempus, neque lex diuina positiua, cum dies festi sint determinati lege humana positiua, quæ per se non determinat de actibus interioribus, nisi quatenus sunt necessarij ad exteriores: omnia autem, quæ exteriori perficiuntur diebus festis, perfici pos- sunt sine hoc actu amoris Dei. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 4. vbi Caiet. & alij Sotus lib. 2. de iustitia quæst. 4. art. 4. Nauarr. in Sum. cap. 11. & 13. Præterea alij docent obligare in articulo mor- tis, in quo per se loquendo videtur obligare: tamen totam obligationem reicere in illud tempus, pla- ne repugnat tanti præcepti dignitati: plus enim re- quirat diuinæ amicitie ratio, tum quia diuina præ- cepta sæpius obligant: tertio quia hic amor de- bet esse regula, & principium necessarium actio- num: ergo inordinatum est reicere illum in finem vite.

2. Tandem alij concedunt obligare in primo in- stanti vsus rationis, postea vero in quibusdam euē- tibus. Primò si Baptismus sit ab adulto suscipien- dus. Sic Sor. libro primo, de natura, & gratia ca- pite 21. & libro secundo, de iustitia, quæst. 3. art. 10. Secundo, si ad eundem sit martyrium, vel aliud dif- ficile, & egregium opus inchoandum: sic Sotus ibi- dem. Tertiò quando aliquod insigne beneficium à Deo recipimus: sic Sotus eodem articulo. & Medina libro 1. summæ cap. 14. Quartò cum conspiciamus iniuriam honori diuino fieri, & possemus impedi- re. Ita Sotus citatis locis, & Nauarr. summæ cap. 11. num. 1. Cæterum hæc non placet, & quidem pri- mum illud de instanti vsu rationis satis reiectum est in 1. 2. Rursus primus casus non est verus etiam si, qui accedit ad Baptismum, antea non habuerit contritionem. Ratio est, nam qui accedit ad Bap-

tismum solum tenetur ita se disponere, ut dignè re- cipiat, hoc autem præstabit, si attritionem habeat, ut satis constat ex materia de Baptismo. Maior constat ex generali lege sacramentorum, neque enim est hic, unde aliam peculiaritatem obligationem fingamus, quod enim ait Sotus militem cum pri- mum militie acribitur, debere se, & omnia sua re- ferre in principem, parum vrget ad tantam obliga- tionem inducendam, satis enim est habere propo- situm sequendi militiam, & eam præstandi, ad quæ bō- ni milites tenentur, quod præstari potest sine hoc actu amoris. Ad hæc in martyrio nihil est certum, nam si quis iam probabiliter sit in gratia, erit obli- gatio communis etiam iis, qui sunt in articulo mor- tis, nisi per accidens aliquid aliud sit magis necessa- rium propter difficultatem operis, ut iam dicam: quod verò additur de opere egregio inchoando, si- ne fundamento dicitur, satis enim erit orare, vel quid simile facere. Tertius casus non est verus, quia post acceptum beneficium, satis erit gratias agere, ut satisfaciatur præcepto, & ad hoc non statim obli- gatur homo sub mortali. Vltimus casus, neque ipsi Soto videtur sufficiens, sed addit Nauarr. supra num. 9. tunc obligare amorem Dei, quando obligat amor proximi. Sed neq. hoc verum est, quia potest actus amoris proximi exerceri sine actu amoris Dei.

3. Obligatio igitur temporis, pro quo obligat preceptum affirmatiuum assignari potest, vel per se, ratione honestatis, vel necessitatis ipsius operis præcepti, vel propter aliud, ad quod interdum est necessarium, ut cum homo obligatur ad orandum propter tentationem occurrentem. Dico igitur pri- mò, propter occurrentem extrinsecam necessita- tem duobus modis obligari potest homo ad eli- ciendum actus amoris Dei super omnia, primo si necesse sit contritionem habere, ut in articulo mor- tis: præcipue si quis haberet conscientiam peccati mortalis, & credo obligare etiam si sit copio- confessoris propter grauissimum negotium, & pericu- lum salutis æternæ, in quo excludendum est omne dubium, quoad fieri potest, ut in materia de pe- nitentia dicitur. Secundo si necessarium sit mini- strare ex officio, vel recipere sacramentum eum, qui conscientiam habet peccati mortalis, & non confite- tur, vel quia non potest, vel quia non vult. Alij addunt tempus grauissimæ tentationis, præcipue si quis iudicare esse opportunissimum remedium, & quasi necessarium medium se ad gratiam dispone- re, vel ad amorem Dei se excitare ad vincendum tentationem, quod interdum fortasse probabile est, raro tamen moraliter accidit. Idem erit, si oc- currant similes actus, in quibus propter extrinse- cam rationem necessarium sit vi diuino amore, & comparare Dei amicitiam, tanquam conuenien- tem dispositionem ad talem finem: tamen, quia in his casibus preceptum amoris Dei non obligat ratione sui, sed alterius, eius omisio non est pecca- tum contra hoc preceptum, sed contra illud, ratio- ne cuius est necessarium.

4. Dico secundo. Aliquando preceptum hoc per se obligat. Ratio est, quia hoc preceptum per se habet vim obligandi: ergo habet per se tempus necessarium. Item amor Dei per se est necessarius ad salutem. Cæterum articulus temporis non tam affirmatiue, quam negatiue assignari potest: sicut in precepto restitutionis dicitur obligare ad non multum differendam restitutionem, licet non pos- sit assignari primum instans restitutionis: ita di- co post vsu rationis teneri hominem non mul- tum differre actum amoris, præcipue, ut cognouit Deum esse vltimum finem, & esse sed diligendum: hinc sequitur, etiam post primum actum tene- ri hominem non prorsus cessare tota vita ab hoc amore, sed aliquando illum iterare propter ratio-

cap. 11. d. n. 152
Attritio suf-
ficiens, ut ad-
ultus acce-
dat ad Bapti-
smum de quo
author disp.
28. de sacra-
ment. sect. 2.

De tempore
martyrii idē
author disp.
19. de sacra-
ment. sect. 2.
Paragr. po-
test tamen,

Prænotatio
pro vera
sententia.

Conclusio

disp. 1. sect.
4. num. 19.

Conclusio

hinc con-
clutio

hinc con-
clutio

hinc con-
clutio

hinc con-
clutio

hinc con-
clutio

hinc con-
clutio

hinc con-
clutio

Simile quæ-
stione dispu-
tat author de
præcepto pe-
nitent. disp.
35. à sect. 4.
Sede præcep-
to oratio-
nis lib. 1. de
oratione, cap.
ultimo.

rationes factas contra tertiam sententiam, est enim consentaneum, ut Dei amor, propter quem creatus est homo, & qui est ultimus finis actionum, non semel tantum, & iterum in tota vita habeatur. Quare qui per multos annos non exerceat hunc amorem, delinquit contra hoc præceptum: quantum verò futurum sit hoc tempus? prudentiæ relinquendum est.

SECTIO IV.

Utrum detur præceptum charitatis de proximi dilectione.

1. Assertio.

1. Dico primo. Tenemur sub præcepto diligere proximum, sicut nos ipsos. Est de fide Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Vbi particula illa, sicut, significat similitudinem, non omnimodam æqualitatem, ut exponunt Hieronymus, D. Thom. & reliqui Theologi: nomine verò proximi, quid intelligendum sit, iam supra exposuimus disp. 1. sect. 1. à num. 3.

Secunda.

2. Dico secundò. Præceptum hoc, & naturale est, & supernaturale, prout in actum naturalem, vel supernaturalem cadit. Prior pars satis constat, & quia id dicitur ratio naturalis, & quia nihil est magis necessarium ad generis humani conservationem, pacem, & iustitiam tutandam, & quia alioqui nunquam contra proximum peccaremus, ut in simili supra sect. 1. num. 2. arguebamus de Deo. Posterior pars est contra Caietanum, qui Deuter. 6. & Matth. 22. exponens hoc præceptum dicit solum intelligi de dilectione naturali, quia supernaturali dilectione nunquam tenemur diligere proximum, consentit ferè Nauarr. c. 14. n. 8. & 9.

Errant præ-
dicti autho-
res.

3. Sed errant, nam Patres, & Theologi æquè nuntiant hoc præceptum inter ea, quæ ad charitatem infusam spectant, & Christus Matth. 22. utrumque æquè coniungit, nec est verisimile in vno loqui de vno genere amoris, in alio de altero: imò expresse subiungit; secundum autem simile est huic, & Ioannis 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatui inuicem, ergo diuinum, & supernaturale, & deinde, sicut & ego dilexi vos, ipse autem supernaturali amore, & in ordine ad supernaturalem beatitudinem nos dilexit. Vnde Paulus dixit dilectionem proximi esse obseruationem totius legis, quia est necessarium coniuncta cum charitate Dei. Quapropter Augustinus 8. de Trinitate capite septimo, obseruat. licet necessarium sit duo præcepta charitatis seruare, Dei, & proximi, tamen sæpè in sacra Scriptura vnum poni, ut sufficiens, quia non potest ab alio separari. Vnde sumitur ratio: nam tenemur diligere ex charitate Deum, ergo eodem modo tenemur diligere proximum propter Deum, quia tenemur diligere proximos, ut consortes beatitudinis supernaturalis, & consequenter illis præstare beneficia necessaria non tantum ad naturæ bonum, sed etiam ad supernaturalem beatitudinem.

Quando ob-
liget præcep-
tum amo-
ris erga pro-
ximum.

4. Difficultas est quando obliget hoc præceptum? Breuiter de utroque amore naturali, & supernaturali in genere dico, quod spectat ad exercitium internorum actuum, per se non obligari nos ad illum actum eliciendum in illo sistendo, id est, propter amandum tantum: sicut diximus de amore Dei. Ratio differentie est, quia amor internus per se non patet proximo, sicut patet Deo. Item amor Dei per se est quidam cultus Deo debitus, non verò sic est amor proximi. Hinc fit, hunc amorem internum solum cadere in præceptum, vel quando necessarius est ad opus externum, & beneficium proximo præstandum, vel ad vitandum odium, & offensionem proximi. Vnde tunc obligabit, quando occurrerit necessitas misericordie, de qua supra, vel necessitas vitandi odium, periculum, &c. & tunc tantum

obligari ad hunc actum, quantum ad hos fines fuerit necessarium. Et huc spectant multa quæ de obligationibus charitatis in proximos tradunt scribentes, & infra disput. 9. occurrent. Vnde vltimius fit, ut regulariter sufficiat amor naturalis, hic enim sufficit ad opera, quæ frequenter occurrunt, sæpè tamen oportebit hunc actum esse supernaturalem, quando, vel opus est valde difficile, & supernaturale, vel est tam magna tentatio, aut periculum odij, & vindictæ, ut moraliter non nisi supernaturali amore vinci possit credatur.

SECTIO V.

Utrum hoc præceptum etiam ad inimicos amandum, & peccatores obliget.

1. Hoc loco sermo est de peccatoribus viatori-
bus, ut supra notauimus, nomine autem ini-
micorum intelliguntur ij, à quibus iniuriam passi
sumus, vel qui nos odio prosequuntur.

1. Dico primo. Ex vi huius præcepti tenemur non odisse peccatores, etiam inimicos. Est de fide: ratio verò est, quia isti sunt proximi, at odium proximi est intrinsecè malum, est enim odium rei bonæ, & per se amabilis. Est autem sermo de peccatoribus non formaliter, sed ut quidam homines sunt, culpa enim odio haberi potest. Sed contra: nam licitum est interdum desiderare malum peccatoribus, ut Psalmo 9. Convertantur peccatores in infernum, & 108. Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius cum iudicatur, exeat condemnatus, &c. ad Galat. 5. Vnam abscindantur, qui vos conturbant, & similis locutio frequens est in sacra Scriptura. Item Christiani sine scrupulo desiderant mortem inimicis Ecclesiæ: hoc autem desiderium est quoddam odium. Respondetur primò ad illa Scripturæ testimonia, ut in illis sit sensus non optantis, sed prædicentis. Secundò, ut sit sensus optantis, si malum referatur ad culpam, non ad personam, ita ut culpæ destruat, non personæ desideretur. Tertiò, ut sit sensus optantis malum ipsi personæ, non ex odio, sed ex aliquo honesto fine: vel necessitatis, vel iustæ vindictæ diuinæ.

2. Ex quo dico vltimius, interdum licere desiderare malum temporale proximo propter bonum finem, id est, propter ipsius commodum, vel ad vitandum, maius malum. Ratio est, quia malum poenæ non est intrinsecè malum, atque adeo neque intrinsecè charitati contrarium, & si licet interdum necessarium ad bonum simpliciter, vel vtilius, ut sic, potius est bonum. Adde, quia licet velle illum finem, ergo & medium consentaneum. Sed duo in his desideriis seruanda sunt, alterum tantum licere ad iustum, & honestum finem, & ideo, & tantum, & tale malum licere desiderare, quantum ad talem finem necessarium est: quare per se nunquam licet desiderare viatori poenam eternam, quia per se non est medium ad nullum bonum, licet interdum liceat permittere illam. Communiter etiam in his desideriis intelligitur tacita conditio, nempe si alia via prouideri non potest bono proximorum. Alterum est, aliquando licere desiderare aliquod malum proximo, quod non licet inferre, non enim quidquid licet mihi optare, ut eueniat, licet mihi facere, ut patet de proximi morte. Ratio est, quia multa interdum licet fieri ab alio, quæ à me non possunt licet fieri, quia careo iure, & potestate: desiderium ergo est, ut vnumquodque per legitimas causas fiat.

3. Dico tertiò. Ex hoc præcepto tenemur possitue amare peccatores, etiam inimicos. Constat Matth. 5. Diligite inimicos vestros, quæ verba non tantum consilium, sed præceptum continent, ut exponunt ibi Patres, idemque habetur ex doctrina Con-
cilio.

ciliorum Carthag. 4. capit. 93. & Agathen. capit. 22. Ratio vero est, quia inimicus est proximus, & capax beatitudinis. Deinde *quod tibi non vis, alteri ne facias*, at omnes volumus amari, etiam ab his, quos offendimus. Adde quod vindicta sumere ab amicis propria auctoritate, est contra rationem naturalem: ergo, & appetitus vindictæ, cui contrarius est hic amor. Tandem hic amor est maxime necessarius ad conservandam iustitiam, & pacem inter homines, ad quem finem referuntur præcepta secundæ tabulæ.

4. Et hinc constat præceptum hoc non esse tantum positum divinum, sed etiam naturale, tum etiam quia lex Evangelica non addidit præcepta moralia positiva, præterea, quæ sunt sacramentorum, ex prima secundæ quæstion. 108. Vnde, & philosophi hoc præceptum agnoverunt. Dices: impossibile esse ratione naturali persuaderi, inimicum esse ex præcepto diligendum, quia illa ratio boni, quæ naturalis, apparet in tali obiecto. Deinde difficile id est, quam, ut possit per naturam perfici: est enim heroicæ virtutis, ut ait Augustinus, serm. 6. & 9. in Psalmo 118. Ad primum negandum est aludendum; ipsa enim humana natura est sufficiens ratio diligendi: deinde etiam Deus, ut ait Author naturalis, ad secundum, posse hominem per vires naturæ servare hoc præceptum aliquo modo in ordine ad finem naturalem, quamvis constanter servare hoc præceptum vix, aut nunquam sine speciali auxilio fieri possit, hoc tamen commune est cum alijs præceptis.

5. Secundo colligitur, hoc præceptum fuisse etiam in lege veteri: præcepta enim naturalia sunt communia omni legi, ut probat late Augustinus sermon. 163. de tempore. Dices: Christus vocat hoc præceptum suum, quasi eousq; nunquam impositum Matthæi quinto. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. Respondetur: ita loqui, ut explicet necessitatem, & obligationem, quæ maxime tenebatur de huius præcepti observatione. Item quia renouavit præceptum iam extinctum. Sed contra nam ipse refert fuisse dictum in lege veteri: *odio habebis inimicum*. Respondetur illud verbum non habuisse falsam Phariseorum additionem. Nam quia Leuit. decimonono dicitur. *Diliges amicum tuum sicut teipsum*: inde à contrario sensu falso inferebant, inimicum esse odio habendum.

6. Sequitur exponamus, quando, & quomodo obliget? Respondetur: per se loquendo, solum obligamur ad amandum inimicum, eo tempore, & modo, quo alios homines. Vnde non teneamur per se ad amandum, vel exhibendum signa amicitie, nisi in eo necessitatis articulo, quocirca alium: nulla enim ratio cogit ad magis diligendum inimicum. Dico per se, nam per accidens potest oriri maior obligatio, ad vitandum scandalum, vel odij significationem. Ita D. Thomas 2.2. quæst. 25. artic. 8. & 9. Sylvest. verbo *charitas*, Nauarr. capit. 24. num. 75.

7. Qui colligunt primò, esse peccatum mortale ex genere à communibus orationibus, aut beneficijs, aut desiderijs, auxilijs, aut signis benevolentie inimicum excipere. Quia moraliter talis exceptio est signum odij, & excitat alium ad odium: Vnde parit scandalum, & animarum divisionem, & est iniuriosa: nam excipitur proximus tanquam indignior alijs, & hoc modo dicit Chrysostomus hom. 71. ad populum, & homilia 6. in primam ad Timot. & libro de Computatione cordis, esse nobis præceptum beneficijs prosequi, & orare pro inimicis. Dices: non teneor orare, vel facere omnibus beneficium: ergo possum excipere, quem voltiro. Respondetur ex Diuo Thoma 2.2. quæstion. 83. artic. tertio, interdum simpliciter non teneri nos ad aliquid faciendum, si tamen facimus, tenemur debito

Suarez de Charitate.

ordine, & modo facere, ut sæpe non teneris orare, sed si oras, teneris attentè orare, ita ergo in proposito.

8. Secundò infertur etiam si non teneamur simpliciter salutare inimicum, teneri tamen ad refalutandum. Prioris ratio est, quia salutatio est speciale signum benevolentie, quod non teneor per se loquendo dare: secus per accidens, vel ratione scandalij, vel si necessarium iudicaretur ad deponendum internum odium, vel certè ad placandum inimicum, & efficiendum, ut ipse deponat odium: nam pro salute eius interdum hoc facere tenemur. Vide Caieranum, Matthæi quinto, ibi. *Esto consentiens adversario tuo*. Secunda pars sumitur ex Diuo Thomâ, & Caietano supra Sylvestro. verbo. *charitas*, quæstione sexta. Et eius ratio est, quia moraliter, imò ex natura rei illud est signum odij, vnde de se generat scandalum, & odium in alio. Dices: non teneor ex charitate refalutare omnem salutantem, sicut nec respondere omni loquenti. Respondetur, etiam teneri ex quadam urbanitate: quamvis si omitterem, solum erit veniale, non enim est gravissimum charitatis: per se tamen respectu inimici, quia hic, & nunc pensatis omnibus circumstantijs, illa ommissio est significatiua odij, ideo ex genere suo gravius est peccatum, & contra charitatem, quamvis in individuo sæpe possit esse veniale, attenta conditione personarum, & circumstantiarum.

9. Tertiò infertur, quando, & quomodo teneamur remittere iniuriam inimico? multa enim nomine huius remissionis intelliguntur: primum interioris odij depositio, & hoc modo semper est in præcepto hæc remissio, iuxta illud Matth. 6. *Si non remiseritis &c. de cordibus vestris*. Secundò intelligitur exterior manifestatio interioris animi, quæcum, qui iniuriam intulit, in amicitiam recipiamus, & nos omne odium deposuisse ostendimus, & hoc simpliciter, & absolute non est præceptum, nisi quando id omittere moraliter esset sese ostendere, & gerere, ut inimicum. Ratio est, quia non semper teneamur exhibere signa amicitie. Vnde colligunt Authores citati, & indicat Diuus Thom. 2.2. quæst. 83. quando qui iniuriam intulit, veniam petit, teneri alterum ad exhibenda signa amicitie, quæ sufficienter ostendant depositionem odij, quia tunc in illis circumstantijs ea omittere, est morale signum odij: item est scandalum, & prouocare alterum ad perseverandum in inimicitia, quia putat se non inuenire locum veniæ, ut colligi potest ex Matth. & Luc. 6. Quid autem in ea opportunitate faciendum sit? prudentie committitur.

10. Tertiò intelligitur condonatio omnis satisfactionis, & hoc simpliciter non est in præcepto, nam potest quis iuste ius suum prosequi per legitimam potestatem, ut habetur in nonnullis decretis, & id confirmat omnium authorum consensus, & usus virorum proborum. Ratio est, quia ille de se est actus consentaneus iustitiæ, quod maxime habet locum, quando quis intendit, ut sibi restituatur bona externa, vel honor aut fama, &c. Sed cauendum est ne misceatur odium: secundò ne nimium proximus prematur, ita ut cum notabili detrimento suo cogatur, vel minimo damno satisfacere: nam interdum id poterit esse contra charitatem, ut patet Matthæi 13. & 18. Vnde notat Sylvest. supra, si is, qui intulit iniuriam, satisfecit quoad potuit, contra charitatem esse illum amplius urgere, ut faciat, quod non poterit: quod præterea intelligendum est, nisi intendatur per se iusta pœna propter commissum delictum: quod etiam si debito modo fiat, iustum esse potest, & interdum præceptum, ut in materia de iustitia tractatur.

Obiectio.
Responsio.

1. Confessarium.
Quot remittenda iniuriæ ex præcepto.

2. Confessarium.

Cautela pro proxima doctrina.